

332

1246 d. 22 Jun.

Lyon.

Påfv. INNOCENTIUS IV:s Bref till Styresmannen och Bröderna af Predikare-Orden, med befallning, att ingen skulle afträda från Orden, utan sin Priors begifvande, äfvensom ingen ägde att kvarhålla dem, som erhållit behörigt tillstånd att lemna Orden.

A. r. d. 37.

INNOCENTIUS episcopus seruus seruorum dei, Dilectis filijs . . Magistro et fratribus ordinis predicatorum, Salutem et apostolicam benedictionem. Cum paupertatem et uitam profiteamini regularem insistentes ex pio quem uobis dominus inspirauit affectu euangelizationi uerbi dei quo populus christianus numero et merito ampliatur. auctoritate presentium inhihemus, ne quis post ordinis uestri professionem ab ordine ipso sine sui Prioris discedat licentia, discedentem uero absque cautione litterarum uestrarum auctoritate alicuius priuilegij ab apostolica sede indulti nullus audeat retinere, quod si quis forte retinere presumpserit, licitum uobis sit in ipsos fratres regularem sententiam promulgare. Nulli ergo &c. nostre inhibitionis et concessionis &c. Datum Lugduni, X, kal, Julij Pontificatus nostrj Anno Tercio.

Blybullan hänger i segelgarnssnöre.

333.

1246 d. 22 Jun.

Lyon.

Påfv. INNOCENTIUS IV:s öppna Bref till Ärke-Biskopar och Biskopar, att tillhålla dem, som egenmäktigt anlagt Predikare-Ordens drägt, eller någon annan dylik, att densamma, vid ansvar, genast aflägga.

A. r. d. 38.

INNOCENTIUS episcopus seruus seruorum dei Venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis presentes litteras inspecturis Salutem et apostolicam benedictionem. Quia confusio habitus sepe confusionem inducit. ordinum et etiam animorum auctoritate apostolica districtius duximus inhiendum, ut nulli siue sit in religionis ordine siue extra ordinem constitutus, habitum dilectorum filiorum fratrum Predicatorum, aut ita sibi consimilem quod propter eum frater Predicator credi possit. deferre liceat, absque mandato sedis apostolice speciali. Volumus igitur et fraternitati uestre per apostolica scripta mandamus, quatinus singuli uestrum in ciuitatibus suis et diocesibus illos qui prefatum habitum uel sibi predicto modo consimilem contra inhibitionem nostram deferre presumpserint ad deponendum ipsum cum ab eisdem fratribus requisiti fueritis, monitione premissa per censuram ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo compellatis. Datum Lugduni, X, kal, Julij, Pontificatus nostrj Anno Tertio.